

Sanctis

nisi acriter penituerint interitus sempiternus. De talibus etiam dicitur in ps. 96. Confundantur omnes qui adorant sculptilia. et qui gloriantur in simulacris suis. Simulacra luxuriosorum sunt feda corpora mulierum quas plus diligunt quam crucifixus qui passus est pro eis in cruce et propter hoc proculdubio confundentur obprobrio sempiterno. Item contra septimam gloriam sanctorum. que est in spe glorie filiorum dei reprobi gloriantur in presentis glorie breuitate. Contra hoc dicit. Ecclesiastici. 11. In vestitu ne gloriaris unquam nec in die honoris tui extollaris. Ibi dicitur glossa. In honoribus mundanis non est supbiendum quia transit mundus et cupiditas eius. Hinc dicit. Ps. 40. Vox dicentis clama. Et dixi. Quid clamabo. Omnis caro fenulum et omnis gloria eius quasi flos agri exsiccatum est fenulum. et cecidit flos quia spiritus domini sufflauit in ea. Stulte itaque faciunt qui propter pompaticum ornatum vestium et propter momentaneum florem huius seculi renunciant spe eterne glorie filiorum dei. Rogate igitur. etc.

Item de eodem. Sermo octauus.

Surge propera amica mea columba mea etc. Cantorum. 2. Vas electio- nis paulus inquit ad. Hebræos. 10. Voluntarie peccantibus nobis iam non relinquitur hostia pro peccatis. Super quo inquit de uotibus Bernardus. Quod voluntarie peccanti iam non relinquitur hostia pro peccato nisi quia illi non denuo crucifigitur Christus non replantatur iterum similitudini mortis eius per baptismum sed prope iam ab eo lacrimatur unde ex- igitur propria baiolare crucem propria mortificarem membra. Si ergo in peccata cecidimus necesse est ut per lacrimatur effusionem ac passio- nis dominice recordationem ac imitationem resurgamus tunc enim amici dei constituimur dominusque nobis dicit surge propera etc.

Surge propera amica mea columba mea formosa mea et veni Cantorum. 2. Hec enim verba bene et uenienter presentem exponunt de qualibet uirgine. et specialiter de sancta agnete. Unde sex principaliter sunt hic notanda. Primum est quare beata agnes a domino surgere iubeatur. Secundum est quare etiam ut properet amoneatur. Tertium est ob quam causam amica dicatur. Quartum est cur columba appelletur. Quintum est cur etiam formosa vocetur. Sextum est propter quid ut veniat inuitetur. **D.** De primo nota quod surgere iubetur beata agnes ad fidei defensionem. Certe ipsa non surrexit ludere sed potius fidei domini verbis et factis tanquam bellatrix egregia defendere. Surrexit siquidem et clipeum teneri corporis sui omnibus tormentis inimicorum fidei constantem obiecit pro fide domini defendenda nobis etiam necesse est ut quotidie surgamus. in fide et aliis virtutibus proficiamus. Unde ait Iero. Quotidianis ac repentibus uirtutum incrementis instauranda mens est. Tandem enim non relabimur retro quod iam ad priora cecidimus